

Stoch. Plast.



1. Gerhard f. Joh. Ernst. / Diff. de umbra
tione virtutis altissimi, ex Lur.
1. vers 35. / inc 1668.
2. Geier f. Mart. / Diff. Riga, nempe
Prot Evangelium Genes. III. v. 15.
ut et Messie Mors, Sepultura
ac Resurrectio. Ies: LIII. v. 3 = 10
Lipſie 1645.
3. Diff. Superstitione,
Lipſie, 1660.
4. Gerhard f. Joh. Ernst. / Diff. de
umbratione virtutis Altissimi,
inc 1665.

L. N. 3.
DISPUTATIO THEOLOGICA 26
DE
NAUFRAGIO
FIDEI.

Ex I. Tim. I. Cap. Vers. 19.

Quam
SUB PRÆSIDIO
DN. JOHANNIS NICOLAI
HARDTSCHMIDII,

SS. THEOL. D. ET PROF. PUBL. CELEBERRIMI,
ECCLESIAST. ET CAP. THOM. CANONICI.

DN. PATRONI, FAUTORIS, AT QVE PRÆCEPTO-
RIS SUI AETERNUM DEVENERANDI,

publico
pro viribus defendet
JOHANNES JACOBUS Murrmann/

Buxovilla-Hanoicus, SS. Theol. St.
IN ALMA ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE
ad diem 4. Mens. Decembbris. Anno MDCC IX.
hor. locoqve consvetis.

ARGENTORATI,
Literis **JOHANNIS PASTORIL.**

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

NAUFRAGIO FIDEI

WILHELMUS VON DER

SUB PRESTARIO

DNO HANNE NICOLAI HARDTSCHMIDII

THEOLOGIA ET MORALIS THEOLOGIA
HOMINIS ET CARIS DOMINI CHRISTI
DUM TERRITORIUS INQUESITUS
IN SUECIA ET DANIA PRAELEGENDUS

ET CETERA

JOHANNES JACOBUS SCHMIDII

BONVALLIUS ET CETERI ET DISCIPULI
DISPUTATIONES THEOLOGICAS
IN AERIA AMBIVELIA
IN AERIA AMBIVELIA

ET CETERA

DISPUTATIONES THEOLOGICAS



I. N. 7.

PROOEMIUM.



Venadmodum prior Epistola
Pauli ad Timotheum exem-
plar continet ministri Eccle-
siaz, & qvalem eum esse oportet
in doctrina, fide & vita, e-
gregie depingit; ita cum *pra-*
stantissimus Dn. Respon-
dens auditor meus industrius & dilectus, pe-
teret Disputationis Academicæ thema, hoc ex i.
Tim. I. Cap. v. 19. oportunum & proficuum Ipsi
ministerii S. Candidato existimavimus: Qva
mente & eam tenebimus methodum, qvam b.
Dn. D. Sebastianus Schmidius in Collegio Bibli-
*co N. T. elegit, ut *connexionem & vim phra-**
sium consideremus, inde porismata deducamus,

A 2

qva

quæ cum doctrinam, cum vitam spectant, quod
institutum si non eodem, quo b. D. Schmidius
successus, saltem conatus divina juvante gratia jam
prosternemur.

§. I.

S. I.
Connexio.

Apostoli monitum insigne est ad Timotheum.
1. Ep. Cap.I. v.19. Εχω τισμανα αγαληνα συνεδνων, ην τινες
απωτριμενοι περι την πιστην ειναι αγνοειν qvibus cavendum
fidei naufragium monet; b. D. Seb. Schmidius vertit;
Habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repu-
lerunt, & circa fidem naufragium fecerunt. B. noster
Lutherus. Und habest den Glauben und gut Gewiss-
sen/ welche etliche von sich gestossen/ und am Glauben
Schiffbruch erlitten haben. Qvæ versio b. Lutheri,
connexionem quam textus ipse tacite infert, expressit
per vocabulum, und/ ita ut v.19. cum 18.v. sit conjun-
ctissim9, quo Apostol9 monuit Timotheum, ut præce-
ptum datum, quam maxime haberet commendatum,
ha ει ανθρας επαρτειν την καλην επαρτειαν, ut milites in illis
bonam militiam εχω την πιστην habens fidem, vel ut babeas,
vel ut b. Lutherus ει ut babeas; qvæ quoad rem non
sunt diversa, cum b. Lutherus per conjunctionem
und/conjunxit versus duos, nos per το ut, & quidem
quo simpliciter textui inhæreamus, & participium ex-
plicemus per subjunctionem, quemadmodum ver-
bum præcedens cum conjunctione ha, eodem modo
positum est; sic ut omnino versus noster 19. cum præ-
ced.

ced. 18. sit connectendus. Unicum est qvbd addendum, simplicissimum non tantum videri si e præcedente versu r^o, h^a, repetatur; sed & eo ipso indicari & explicari ab Apostolo in qvo illa malitia bona consistat, ad quam Timotheum suum tam serio fuerat hortatus. Et huc qvidem Commentarii Ambrosii Tom. 5. op. f. 400. etiam respexisse videntur, cum haec habent: *Prædestinatus est enim (Timotheus) quando ad hoc ab Apostolo assumptus est, ut ordinareetur dignus judicatus futurus Episcopus, ut impleret militiam Evangelicam in fide & pura conscientia.*

§. II.

Postquam de cohærentia textus constat, etiam de phrasibus videndum, ἔχων τὴν πίστιν Apostolus scribit. Et hoc qvidem participium vi sensu & constructionis loco subjunctivi esse, si resolvatur, paulo ante dictum est, patebit que ex stylo Apostoli etiam in hac priore Epistola tantum, participium pro diversitate præcedentium, modo indicativi, modo subjunctivi locum implere. Ita id docet participium θίεις, 1. Tim. 1. 12. conf. c. 2. v. 8. & de eodem participio qvod in nostro loco occurrit C. 3. v. 7. & 9. oportet Diaconos esse graves - - - babentes mysterium fidei in conscientia pura, ubi qvivis intelligit, esse sensum apostolicidicti, oportet Diaconos esse graves & habere &c. conf. v. 12. 14. C. 4. v. 6. C. 5. v. 13. imprimis v. 21. confessor coram facie Dei - - - κα τὰυτα Φυλάξῃς μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλησιν, ut haccusodius, ita ut nihil (sis) facies juxta inclinationem, qvæ est

est Schmid. versio cf. C. 6,20. Verbum ipsum ἵχεν, quod attinet, simplex esse notum; sed non mala est Grotii, hic observatio *simplex* ponit pro *composito*, *naturę* ἵχεν; pro cuius rei veritate bene allegat Locum ex Luc. 8,15. de iis qui sunt *terra bona*, audiunt verbum Dei, *naturę* ἵχεν, continent, firmiter tenent, & fructum ferunt in patientias sic ut Apostoli mens sit, Timotheum debere fidem tam firmiter tenere, ut nulla vis, nulli errores, vel calamitates eandem ipsi excutere queant. conf. 1. Cor. II, 2. Est vero & illa b. D. Havenmanni observatio non mala, verbum hoc in *præsenzi* positum indicare *continuam fide per se* *per antiam*, ut semper sit ἵχεν τὴν πίστιν *habens fidem*; nunquam enim a fide deficere Christianum decet, multo minus Ministrum verbi divini; de quo infra.

§. III.

s. III.
πίστιν
fidem.

Eidem autem qualem Apostolus intelligat, non est difficile judicare; fides est vera, sine simulatione, ἀνταρκτική, ut ipse describit c. 1. v. 5. fides vera cuius finis est vita æterna v. 16. & c. 2. v. 15. Fides illa, quæ est mysterium & cuius objecta sunt mysteria c. 3. v. 9. quale est mysterium incarnationis, prædicationis Evangelii inter gentes, & ascensionis Christi ac sessionis ad dextram Dei. v. 16, 17. Fides vera in Christum, de resurrectione mortuorum in extremo die futura, quam Hymenæus negavit. Fides illa quæ Apostolus meritum Christi amplexus est, ut peccator maximus, misericordiam Dei tamen prædicaret, quæ Jesus Christus venit

venit in mundum peccatores salvare; sicut hac fide se
solatus est Apostolus C.I.

§. IV.

Coniungit vero Apostolus fidei bonam conscientiam, καὶ αὐτὸν συνείδοντα, & id quidem freqenter in Conscientiam bonam.
hac Epistola, ut cap. i. v. 5. finis precepti est Charitas ex pu-
ro corde, καὶ συνείδοσεως αὐτῷ & conscientia bona: &
quod hic appellat conscientiam bonam c. 3. v. 9. συνείδοντα
καθαρὰ conscientiam puram appellat & mundam, scil.
sanguine Christi Filii Dei; nam hic est, qui καθαρίζει μᾶς
mundat nos ab omni peccato. I. Joh. 1. 7. & quidem ea
virtute, ut & renovata mente Deo servire queamus;
hic enim sanguis Christi qui per spiritum eternum se ip-
sum obtulit immaculatum Deo mundabit καθαρίζει τὴν συ-
νείδοντα conscientiam nostram ab operibus mortuis ad servi-
endum Deo vivo. Hebr. C. 9. v. 14. Conscientia ergo bona
Apostoli stylo illa dicitur, quae licet conscientia peccato-
rum, ab illis tamen fide munda est in sanguine Christi,
quæcunque studio bonorum operum Deo servit; &
haec est quam Apostolus Timotheo suo commendat
ubique. Nec displicant, quæ Grorius habet ad v. 5. I.
Tim. c. 1. Dat nobis Paulus brevem genealogiam, sed perutilem.
Ex fide minime facta אָמֵן cuius mentio 2.
Tim. 1. 5. nascitur bona conscientia i.e. abstinentia a peccatis
Act. 23. 1. infra 19. & 3. 9. &c. Hinc puritas cordis 1. inter-
rior Act. 15. 9. hinc porro dilectio, que est pax 2. Tim. 2. 22.
Nec abnuit Theophylactus ad h. l. conscientiam bonam,
hoc est vitam irreprobenibilem habetas, a qua oritur rectior
hac

hæc conscientia, ita ut & alius preeesse queat. Qvorum & commentarii Hieronymi respiciunt. Et hi quidem rem magis assecuti sunt, quam glossa ordinaria ad h. l. *Conscientiam vocat cogitationes, in quibus summopere humilitas servanda est, quæ spretam magnos quidam errores devenierunt, sicut in Epistola ad Romanos legitur.* Hactenus glossæ verba. Evidem ad conscientiam bonam servandam humilitatis quoque studium pertinere, non negamus; sed hanc vel solam, vel præcipue bonam conscientiam facere, aut h. l. præ alii intelligi, ex textru probari nequit, & longe angustior est hæc explicatio, quam quæ describendæ conscientiæ bona sufficiere queat, cuius semiasiam b. Dannhavv. Theol. Conscient. part. I. Hiatr. sect. 3. p. 229. §. 35. ita depingit;

ηθικὴ πάθη conscientie serena sunt magnanimitas morum cum gaudio 2. Cor. 1, 4. Fiducia sine temeritate Act. 24, 16. Tranquillitas sine metu, quæ fuit in Petro inter custodes dormiente. Amor lucis sine fastu, Job. 3, 20. Bonæ conscientia, ita Hieron. Epist. nullius oculos fugit, aperte vivit, & actionum suarum testem advocat Iolem. conf. de hac plura apud eundem l. c. p. 216. seqq.

§. V.

S. V.
*απωδίσεις
 voi repellentes.*

Ut hæc Paulus Timotheo suo tanto melius inculcaret, adduxit exempla infelicia eorum, qui securi erroribus vitaque turpi utriusque jacturam fecerunt, quando pergit in tunc απωδίσεις, quam quidem repellentes; Repulsa forte validamque significat hæc locutio, uti cognoscere licet ex Act. 7, v. 27. is qui proximo suo

suo injuriam intulerat, repulit Mosen ἀπέστατο,
 qui tamen ipsos fratres suos ad concordiam &
 pacem hortatur fuerat. Sic Judaei contradicen-
 tes & blasphemantes prædicationem Evangelii,
 dicuntur verbum Dei repulisse. Pari ratione
 de rejectione populi, illud usurpatum Rom. II, I.
 adde Cap. 13. Rom. V, 12. atque hoc ipsum alias mi-
 tiori vocabulo, sensu tamen pene eodem exponit
 Apostolus I. Tim. I, 6. ἀντιτίθεμεν ἀπόχνωτες, quorum
 (fidei & bonaे conscientiа) qvidam aberrantes
 quasi a scopo: & Cap. 6, 21. qvidam πεπίπτην πάντων
 ἀπόχνωτες circa fidem aberrarunt; & ne quis dubitet
 hic eandem in nostro loco Apostoli mentem esse,
 manifestum id est ex 2. Tim. 2, 18. Ubi Aposto-
 lus locutus de Hymenao (cujus post nostrum ver-
 sum etiam mentionem facit) & Phileto scribit, qui
 πεπίπτην ἀπόχνωτες, circa veritatem aberra-
 runt. Hoc ergo exemplo proposito Apostolus
 Timotheum monet, ut fidem & bonam consci-
 entiam retineat, non malitiose repellat, nec a ve-
 ritate aberret. Et ita quidem pronomine ν, fi-
 dem denotari existimamus, siqvidem c. i. l. c. A-
 postolus de utroque locutus, pronomen in plu-
 rali posuerit ον, & quamvis singulari etiam ut-
 rumque notari, & ad utrumque in singulari po-
 situm referri alias possit, tamen ex constructione
 immediata & cum fidei deinceps expressa fiat
 mentio, circa quam naufragium quidem fece-
 runt, naturalem hic constructionem sequitur

B

dum

dum ad conscientiam articulum ^{iv}, referimus: & ita quidem etiam Hieronymus exposuit verba hæc, quam quidam repellentes &c. Male vivendo ipsam quoque fidem perdidérunt, quam habere videntur; sive etiam jam vitio defendantes. Et glossa interlin. de flagitiis exponit: & Lyra secutus Chrysostomum & Theophylactum hac in re de vita intelligit doctorum, ut sit doctrina conformatio-
nem; nec ab Grorius ^{τὸ διπλῶν οὐσίαν} de vita non male intelligens & explicans, quamvis stylo magis latino, quam Lyranus.

§. VI.

*svavāy-
ōr̄ ēz̄
t̄n̄ π̄t̄v̄,
naufragi-
um fecer-
runt circa
fidem.*

Maximum porro momentum Apostolicæ admonitioni affert, qua fidem & bonam conscientiam retinendam svadet, qvoniam quidam suo damno repulerunt, & *περὶ τὸν πέτων iavavāynōr̄* juxta Latinum, naufragaverunt, satis barbare, melius b. D. Schmidius, naufragium fecerunt, vel, ut Comment. Hieronymi habent, naufragi facti sunt circa fidem. Et in hoc quidem consentiunt interpres de naufragio sermonem hic esse & quidem de naufragio fidei, metaphora aliqua sumpta a naufragio eorum, qui in mari navi fracta a vel suffocantur, vel periculum vita adeunt, ita namque Paulus de se 2. Cor. Cap. II. v. 25. *τρὶς iavavāynōr̄* ter naufragium feci conf. Act. 26, 41. sed quæratio sit hujus metaphoræ, & in

in quo simile & tertium constituendum, non est omnium eadem sententia. In Glossa ordinaria allegatur Haymo ad h.l. cuius haec sunt: *Naufragium dicitur navis fractio.* Et sicut ille substantiam suam perdit, qui naufragium patitur, & insuper ipse perit. Ita qui bonam conscientiam repellunt fidei veritatem perdunt, & insuper eternaliter pereunt. *Lyrā, naufragaverunt i.e. perierunt: abyssus enim abyssum invocat,* & dicit naufragaverunt, quia sicut naufragiens naufragium, perit, & aliquid eo, sic tales a fide cadentes inducunt alios ad infidelitatem. Theophylactus paulo aliter simile applicat: *Qui fidem abegerit, opinationibus cuncta abegerit: circa fidem naufragio pereat necesse est.* Fides namque portus est patentissimus, qui animum ad tranquillitatem traducit. *Quasi iuncula vero & hæsitationes, tanquam procellæ mentem utrinq[ue] exagitatam in miserum corripunt naufragium, affliguntque scopulis, vel in profundum demergunt.* Alludit his Theophylactus ad ea quæ Chrysostomus habet, idque pro more suo. Grotio adhuc aliter metaphoram evolvere placuit, dum scribit; *sicut ignis pabulo indiget, ita fides bonis operibus:* alioqui facile extinguitur. Nam qui male agere volunt, omnia quarunt ut sibi persuadant, ea quæ de premiis ac pœnis internis (forte aternis) dicuntur, non esse vera, aut certe Deum non agere tali lege cum hominibus. Fides est ut navis, vita pura velut gubernaculum. *Gubernaculo abjecto, non mi-*

¶ 12 90

rum, si navis in scopulos impacta frangitur. Hactenus Grotius.

§. VII.

§. VII.
nostra sen-
tencia.

Ut mentem nostram circa hanc rem expli-
cemus, ab ultimo placet incipere. Et quidem
qvod Grotius opera bona pabulum fidei, fidem na-
vem & vitam gubernaculum appellat, non procul
ab eorum sententia abest, qvi opera & in specie
charitatem fidei formam & animam appellare
consueverunt, cum de fide formata loqvuntur;
vid. Bellarm. l. 1. de Justif. Cap. 15. l. 2. C. 4. b. Dann-
havv. Hod. Pap. T. II. p. 127.

Verum Grotius oppido fallitur; qvenad-
modum enim nemo sanus fructum arboris ejus-
dem pabulum dixerit, ita nec opera tanquam
fructus veræ fidei hujus pabulum dici possunt.
Matth. 7, 16. Et pariratione alterum non bo-
num est, qvod de gubernaculo scribit: si enim fides
navis est, opera instar gubernaculi, manifestum
est, fidem per se immortam torpere, & hinc inde
impeili posse, nisi opera ad sint, qvæ fidem quasi
animent, & hoc illucve dirigant. Aliter vero
Paulus Hebr. 11. fidei virtutem describit. Nam si-
de mare rubrum transisse Israëlitas dicit. v. 29. & Ja-
cobus fidem docet fluctus dubitationum cobibere
Cap. I.

Cap. I. v. 6. Qvod vero attinet Haymonem, verum est, qvod qvi fidem perdunt aeternaliter perirent; sed id opus habet explicacione dictum, qvod qvi *bonam conscientiam repellunt*, *fidei veritatem amittunt*; Nam conscientia bona repelli non potest, nisi jam fides vera amissa sit; sicut enim fides arbore est omnium bonorum operum tanquam fructuum; ita ex opposito *anisla* & incredulitas radix est & causa omnium peccatorum; adeoque praecedit repulsam illam, de qua Apostolus loquitur. Nisi id *declarative* velis expondere, qvod navim fidei fractam esse, repulsa bona conscientiae satis manifeste doceat, sicut tabulae quædam & asseres in mari hinc inde disiecti navim fractam omnibus cernentibus persuadent. Rectius Theophylactus secutus Chrysostomum; quanquam, an ad solas illas quæstionulas rationis, haec Pauli verba pertineant, valde dubitemus, cum testimonium hujus rei, nec textus, nec exempla Hymenæi & Alexandri nobis suppeditare possint. Nos itaque simpliciter tertium comparationis in *jactura damno & periculo ponimus*, hac ratione: qvod, quemadmodum is, qui in mari tempestate, aliave de causa naufragium patitur, bonorum omnium facit jacturam, patitur damnum bonorum & corporis, & in periculo vitae presentissimo est, in quo plerumque homines pereunt: ita etiam qui *bonam conscientiam repellit*, quæ theoriam & praxin spectat,

jacturam facit fidei, fidem nullam habet, damnum patitur, dum bonis spiritualibus & gratia DEI privatur, & quemadmodum jam mortuus est vita gratiae; ita in praesentissimo periculo versatur, ne & morte aeterna moriatur, quod plurimi accidit, & certo sequitur, nisi vera penitentia subsequatur, ad quam divina castigatio homines saepe impellit; qua ratione Paulus mox post textum nostrum, scripsit se traditum Satanae Hymeneum & Alexandrum, qui ita circa fidem naufragium fecerunt, ut castigentur; de quibus videatur Paulus ipse 2. Tim. 2, 17. & 2. Tim. 4, 14.

§. VIII.

**§. VIII.
Porisma
Imum.**

Explicate textu, quantum quidem instituto nostro sufficit, jam porismata inde deducemus, quorum Imum hoc sit, Fidem & bonam conscientiam utique sectari oportet & bonis operibus studere. Non erit difficile hoc ex textu nostro deducere: dictum namque & probatum supra est, §. 2. participium ἵχων imperandi habere, & praecetti Apostolici esse, quo instruit suum Timotheum; & hoc ipsum est quod cum Paulo, ut summe necessarium urget, symbolum nostrarum Ecclesiarum. Aug. conf. Art. 20. sic ut quicunque contrarium nobis imputare ausint, negent solem in meridie lucere. Et hunc quidem rei etiam

(15)

tiam exemplum Hymenæi pondus addit: qvem-
admodum enim exempla virtutum in se laudis
materiam, & imitationis præceptum habent; ita
victiorum exempla vituperio digna, dehortandi
continent autoritatem.

S. IX.

S. IX.
Por. adum.

Et qvemadmodum studium conservandæ fidei
& bona conscientia ad omnes homines pertinet, ita II.
principie Ecclesiæ minister id sibi debet habere quam
commendatissimum. Fluit hoc ex eo, qvod Aposto-
lus Epistolam hanc ad Timotheum scripsit (E-
phesiorum ut tradunt) primum ordinatum E-
piscopum. Jam id facile colligas præcepta non
esse personalia, sed ad omnes, & qvam maxime
eos pertinere, qui ut Timotheus sacro ministerio
funguntur; nec op'is est ut hæc prolixius probe-
mus, cum res clara sit, illustrationis saltem gra-
tia testimonium Chrysostomi hanc in rem addu-
cemus, cuius ex versione hæc sunt T. 4. Homil. 5.
in 1. Epist. ad Tim. f. 1456. Magistrum prius oportet
docere scipijum; qvemadmodum enim dux nisi antea
miles optimus fuerit, ne dux qvidem esse aliquando po-
terit: ita & Doctor. Hoc & alio in loco ait: ne forte
alii prædicans ipse reprobis efficiar. Habens qvidens
bonam conscientiam, ut sic ceteris dignius præesse pos-
sis. Hec nos exempla majorum non aspernemur ma-
zita,



nita, etiam si Doctorum fungamur vice. Nam si Timoteus, cuius nos meritis longe impares sumus, & monita suscipit & liberenter addiscit, idque cum in doctoris ordinem transisset, multo magis id nos facere convenit. Cujus quidem rei elegans est ratio, quae in comment. Ambros. ad hunc locum legitur: Qui fideliter docet, non potest malam habere conscientiam. Tunc enim fidem exhibet predicationi, si se abstineat a contrariis omnibus, quia exemplo bonorum operum multos lacescit ad credulitatem, fidentes de spe predicationis. Nam qui fidei spernit, procul dubio est male conscientia: Aut enim hypocrita predicatur, aut apertus blasphemus.

§. X.

§. X.
Por. 3ium.

Non autem sufficit propositum, vel studium bonorum operum semel suscepisse, sed III. in Eo studio est perseverandum. Supra monuimus τὸ ἔχον præsens, notare continuum studium, ut in præsenti semper habeamus fidem & bonam conscientiam; id qvod inde adhuc magis confirmatur, qvod verbum ἔχει hic idem est ac νατίζειν, qvod firmiter tenere notat, ut elabi non possit, qvod ita tenueris sive animo, sive manibus. Et hoc ipsum monitum alibiclare expresit. I. Cor. 9, 24. sq. an nescitis, qvod qui in studio currentes (sunt) omnes quidem currunt, unus vero accipit brabeum, ita cur-

currite ut comprehendatis. Et hinc est quod Apostolus Galatas incepit, quod cursum fidei & doctrinae sane omiserint. Cap. 5, 7: currebatis bene, quis nos impedivit, ne crederetis veritati? Unde legitimus certandum Christiano esse docet 2. Tim. 2, 5. si quidem coronari velit, scilicet exemplo Pauli, ut cum illo dicere possit ex 2. Tim. 4, 7. Bonum certamen certavi, cursum perfeci, fidem (custodiri) servavi: de cetero reposita es mihi coronajustitiae, quam mihi Dominus dabit in illa die, justus judex, non mibi autem solum, sed & omnibus diligentibus apparationem Domini. Unde constantiam fidei usque ad finem commendat Dominus Jesus, ut coronam vitae accipiat Dei minister Apocal. 2, 10. Et v. 25. juxta κρατεῖν tenere firmiter, quod pii habent, donec veniat: & Cap. 3. Ecclesiae Philadelphiensis Episcopo v. 10. promittit; ὅτι εἰσῆντος servasti verbum patientiae meæ, Ego etiam te servabo ex hora tentationis, itemque v. 11. Ecce venio cito, πράτη tene quod habes, ne quis coronam tuam capiat. Magnum erexit eccatum est, bonam conscientiam repellere, & fidei naufragium facere, sive ab illa defecere.

§. XI.

Deducimus porro IV. ex nostro loco, quod fides & bona conscientia possit amitti per peccata voluntaria tum vita, tum doctrine. Id nobis Pauli

moni-

§. XI.
Por. quum.

monitum insinuat, quo frustra futurus fuisset monendo, ne Timotheus bonam conscientiam amitteret, vel repelleret, qvam tamen absoluta necessitate & decreto DEI absoluto antecedente non poterat ulla ratione amittere, aut repellere, gratia DEI irresistibili id impediente, juxta Calvin. Et qvis non rideret nimis curiose sedulium innotorem; caveret is, qvi in arida est & continent, ne naufragio periret; aut eum, cuius navem contra omnes fluctus tempestatesve sciret cerro validissimam & nulla ex parte laceram, portum petituram esse; prospiceret sibi, ne naufragus undis periret: sic cum Paulo a Spir. Sancto acto tam superflua admonitio & ridicula mens non possit adscribi, is vero gravissime hortetur Timotheum, lapsum caveret; Eundem labi potuisse, & adhuc vere fideles, qvi veram habent fidem & bonam conscientiam labi posse, posse bonam conscientiam repellere & fidei naufragium facere, manifestum est. Nec opus esse videtur ulteriori probatione, cum exemplis Hymenæi & Alexandri Apostolus id aperte, doceat, dum scribit. v. 20. *av. ēs w qvorū ēst Hymenæus; eorum sc. juxta claram connexionem, qvi conscientiam bonam & fidem repulerunt.* Neque puto quenquam negaturum haec illos habuisse, afferente id Apostolo, & qvod privatio præsupponat habitum; & quenadmodum hic non potest naufragium facere, qvino non habet navem, vel non in mari, vel a qvis

quis est; ita nec fidei naufragium facere potest ille, qui fidem non habet. Placet adscribere confirmationis & illustrationis gratia, quæ habet b. D. Dannhavv. Hodos. phæn. IX. p. 858. 861. Gratia amissibilis est (etiam in Electo totaliter, licet non finaliter) per propriam malitiam. - - Etenim qui deficiunt a vera doctrina, qui peccant contra conscientiam, qui indulgent carnalibus desideriis, qui sinunt peccatum regnare - adeoque nisi resplicant, aeternum damnantur. Confirmatur haec sententia luculentis scripture testimoniis, si secundum carnem vixeritis moriemini - Retine fidem & bonam conscientiam, quæ repulsa nonnulli fidei naufragium fecerunt I. Tim. I, 19. - - Eadem jacturae possibilitas, probatur ex abortionibus & comminationibus divinis, quæ varum ratio est defectio possibilis & formido oppositi. Quæ reformati Doctores excipiunt, discussit b. Dannhavv. partim Hodos. p. 862. partim & in Hodom. Calv. T. 2. ph. 9. p. 1980. 1986. 1997. 2064. seqq. & Darmstad. Fund. deduct. Cap. 2. f. 36. seq. f. 64. C. 3. f. 75. c. 5. c. 7. c. 9. &c. Ex libris nostris symbolicis videri potest A. Cart. 12. F. C. p. 591. & in Art. Smalc. p. 328. ut mirum sit Bellarminum a sum fuisse nobis imputare doctrinam & errorem Reform. l. 3. de justif. C. 14. contra publicum testimonium librorum nostrorum symbolicorum,

§. XII.

§. XII.
Post. stum.

Sed itidem hoc quoque noster textus docet,
C 2 V. mi-

V. miserrimum esse statum & extium eorum, qui bonam conscientiam repellunt & fidei naufragium faciunt: præterquam enim quod non possit major esse miseria hominis, quam ubi mala conscientia cruciat, & exagitat hominem; & qui fidem non habet sit damnationis reus, ita ut si moriatur sine fide, auctu damnetur. Exemplum quoque Hymenæi & Alexandri docet ejusmodi homines esse spiritualiter sub potestate Satanæ, quæ miserrima est conditio, ut Paulus in Gentibus ostendit Ephes. 2 Cap. & Coloss. Cap. II. v. 21. Ut taceamus in primitivo Ecclesia ejusmodi homines traditos quoque fuisse Satanæ potestati, ut affligeret corpus, & cruciaret, non quidem in perditionem animæ sed ad castigationem, ut desinarent peccare & resipiscerent, ut loquitur Apostolus partim in loco nostro v. 20. partim I. Cor. 5, 5. & 2. Cor. 13, 10. Quod etsi hodie non semper fiat, cessante hoc dono miraculorum, fit tamen interdum, nec ejusmodi homines penam DEI effugient. Et noverint tales prævaricatores se vel excommunicatos, vel excommunicandos esse de jure, & sub potestate Satanæ vivere, quemadmodum & v. 20. quidam de excommunicatione interpretantur, de qua re tamen placet addere, quæ habet Ahrah. Scultetus singul. obs. in Ep. ad. Tim. C. XI. cuius titulus est, παραδεῖσαι τῷ Σατανᾷ longe aliud est quam excommunicare, quæ explicat deinceps: Scribit Apost. v. 20. se *Alexandrum & Hymenauum* Satanæ

tra-

tradidisse; quod Bexa & Piscator per ex-
 communicationem factum volunt; sed
 (quod pacem antorum virorum dixerim)
 multum differt παράδοσις τῷ Σατανᾷ ab
 excommunicatione, quod uam in finibus
 aliquatenus convenient. Nam Satana
 tradere non est idem, quod a Cœna aut ali-
 is sacris prohibere, aut extra Ecclesiam
 projicere; sed est aliquem impoenitentem
 flagitosum, qui jam excommunicatus est,
 aut excommunicari meretur, in Diaboli
 potestatem tradere, ut eum corporali
 quoque cruciatu affligat, quo melius ad
 poenitentiam adducatur, & atam enor-
 mi scelere terreatur, quo saltem ani-
 mae eius salva maneat. Fuit hac potestas
 quodam peculiaris, a Domino una cum
 dono miraculorum Apostolis suis concessa,
 ut ita opera Satana, aut alio quodam
 modo possent affligere, etiam absentes cum
 essent, enormiter flagitosos, ut videre est,
 Act. 5, 5. 10. & 13, 11. -- Atq[ue] h[oc] potestas
 tum temporis Ecclesia impense fuit necessa-
 ria ad coercendos contumaces: nondum
 enim erant Magistratus Christiani, quo-
 rum auxilio hic Ecclesia uti potuisse.

50


Allegat deinde consensum Patrum, Ambrosii,
Theodoreti, Hieronymi, &c. & subjungit, Finis
traditionis fuit flagitiorum respicientia. Sic enim A-
postolus qvos tradidi Satane ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασ-
φημέν, ut castigati discant non blasphemare. Hac te-
nus Seultetus eruditus & non male.

§. XIII.

§. X. Ex his denique & VIitum. deduci posset, ^{Pa.}
Por. 6um. tere nibilominus etiam his peccatoribus quales Hyme-
neus & Alexander viam ad gratiam DEI per paenitentia-
tiam: atque hoc non tantum Pauli exemplum pro-
bat, qvod ipse in hoc capite adducit in solarium
maximorum peccatorum; sed & finis quem in-
tenderat tradendo istos Sathanæ *ἴς οὐαδορήν καὶ ἐκ*
ἴς ναθάσεων, ad *edificationem non ad sublationem*.
2. Cor. 13, 10. Atque sic recte contra Novatianos dicetur paenitentia misericordia post naufragium Tabula, quemadmodum appellat Hieronymus T. i. Epist. 8. ad Demetriadem, de servanda virginitate, f. m. 30. Cubicum adduxisset Tyrum, ut paenitentiam ageret, pergit, *Verum nos ignore-
mus paenitentiam, ne facile peccemus.* Illa quasi se-
cunda post naufragium misericordia Tabula sit; in virgine
integra servetur narvis. Quæ epistola allegatur e-
tiam Concil. Trid. sess. 6. de justif. C. 14. Et a nobis ut apud Hieronymum legitur, Iubentianimo
acci-

accipitur: sed ut verba sonant allegata & in contextu leguntur, nemini credo in mentem veniet, eum esse sensum, gratiam baptismatis & fadus a DEO cum baptisato initium, ita per peccatum tolli & rumpi ex parte DEI ut plane baptismus post lapsum nihil amplius proficit. Sed qvo minus de his ulterius differamus, monet institutum, qvod est disputacionem Academicam scribere & exercitium Theologicum Dn. Respondenti, cui, & omnibus illa verba scribimus, qvæ Hieronymus habet l. c. sub Epistolæ finem: *Felix illa conscientia in cuius corde prater amorem Christi, qui est sapientia, castitas, patientia, atque justitia catenaque virtutes, nullus ali- us versatur amor.* - *Ama scripturas sanctas, & ama- bit te sapientia: dilige eam & servabit te;*
bonora illam, & amplexabi-
tur te.

FINIS.



Per-

(24)

Per-Eximio

Dn. Joh. Jacobo Murmanno,

cognato suo dilecto, Naufragio Fidei in Illustre
Argentinensium Universitate disputaturo.

NAufragium Fidei patitur Lucemque relinquit,
Qui spernit sanctam justificamque Fidem.
Naufragium fidei facit is, qui deserit illam
Justificam, colimus qua Pietate Deum.
Naufragio Fidei deceptus Munera CHRISTI
Perdit, & inde sibi Naufragus ipse nocet.
Hec dum perpendis merito, Clarissime Fautor,
Gratulor! Exhibeat commoda multa labor!

Honoris & amoris ergo scg. b.

M. ANDREAS MULLERUS,

Ecclesiast. in Kleinen Kembß.

Dominus Röteliani.




94 A 7346



VDZ

AL. 86.

Farbkarte #13



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

I. N. f.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

NAUFRAGIO FIDEI.

Ex I. Tim. I. Cap. Vers. 19.

Quam

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS NICOLAI
HARDTSCHMIDII,

SS. THEOL. D. ET PROF. PUBL. CELEBERRIMI,
ECCLESIAST. ET CAP. THOM. CANONICI.

DN. PATRONI, FAUTORIS, AT QVE PRÆCEPTO-
RIS SUI AETERNUM DEVENERANDI,

publico

pro viribus defendet

JOHANNES JACOBUS Murrmann /

Buxovilla-Hanoicus, SS. Theol. St.

IN AELMA ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE
ad diem 4. Mens. Decembri. Anno MDCC IX.
hor. locoque consvetis.

ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS PASTORIL.